

M. LUDOVICI BAIL

Abbavillæi Doct. Theolog. ac Propœnitent. Paris.

S U M M A  
C O N C I L I O R U M  
O M N I U M

ordinata, aucta, illustrata

EX MERLINI, JOVERII, BARONII, BINII, CORIOLANI, SIRMUNDI,  
Aliorumque Collectionibus, ac Manuscriptis aliquot,

C U M

*Annotationibus, & Controversiis partim Dogmaticis, partim Historicis,  
ac verborum Indice locupletissimo,*

U L T I M A H A C E D I T I O N E

*A pluribus erroribus diligenti multorum Exemplarum collatione expurgata.*

Ea porro in sex Classes distribuitur.

I. Concilia exhibet Veteris  
Testamenti.

II. Concilia Orientalia.

III. Concilia Occidentalia.

IV. Vulgata Provincialia.

V. Regionibus variis addita.

VI. Decreta aliquot Pontificia,  
ac Synodos Dioecesanas.

T O M U S P R I M U S

Tres priores Classes continens.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, M. DCC. XXIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



VERBO INCARNATO,  
LUMINI DE LUMINE,  
DEO VERO DE DEO VERO.



**N**OBILISSIME Fili Dei, splendor gloria,  
& figura substantia Patris Aeterni, fons  
veritatis, & vita expectatissima anima mea,  
Summam hanc Conciliorum, quibus Eccle-  
siam tuam in terris conservasti hactenus, soli  
Majestati tuae, ut sit mihi vivo, & mortuo  
propitia, defero, dedico, consecro. Quantum-  
vis enim accreverint ignorantia mea, & a  
multa sapientia longe factus sim: at non in tantum, ut nescirem  
quanto sollicitius anima quarenti te, Salus mea optatissima,  
fatagendum esset sibi amorem tuum conciliare, ac devincire,  
ac idcirco aliquo munere placare te, & placere tibi, sine quo,  
etsi universum mundum lucraretur, inopia laboraret, & languerent  
oculi ejus. Unde dum hac animo volverem, in eo profundius  
impressisti veritatem hanc, summum esse malum separari a te,  
& animam a corpore exeuntem, nisi te propitium, ac benigno  
vultu conuenientem se inveniat, & misericordes tuos oculos, ac  
sole ipso pulchriores ad se convertentem, in deploratissimo omnium  
statu consternatam esse: quare non semel exclamaui hac pulsatus  
cogitatione: Vere summum malum est, Jesu mitissime, separari  
a te. Heu me miserum! si non adhaesero tibi ex omni me,  
cujus ego privationem, sicut mortem durissimam, & amarissimam  
timeo. Non sis tu mihi formidini tanta, o vita vitalissima,  
cujus praesentia, & intuitu recreari, & pasci in aeternum desiderant  
oculi mei. Sed nec irascatur Majestas tua contra me, si amulatus  
unum ex servis tuis Amori tuo addictissimum, in composita hac  
verba audacter loquar: Quis mihi det poculum amatorium ad  
propinandum tibi, o dilecte viscerum meorum, & jucunditas  
anima mea, ut te jam volentem suaviter ducam ad explenda  
desideria languentis amoris mei? Quamdiu licuit, ad conquirenda  
tibi plurimorum corda laboravi; etsi saepe irrito conatu: credo  
equidem, propter defectus meos nimios factus sum saepe velut as



# PRÆFATIO AD LECTOREM.



QUANTO in pretio fidelis Conciliorum omnium collectio habenda sit, prodit eorum origo clarissima, quod illa a magnis viris emanarunt, de rebus maxime arduis sint, & ope plerumque Spiritus Sancti sapientissimos Ecclesie Præpositos afflantis edita sint. Prodit eorum utilitas eximia, quod mysteria Dei magis abscondita explicant, cultum ejus summo opere commendant, ac provehunt, damnant, eluminant mores improbos, justitiam prædicant, Clericos perficiunt, illuminant laicos, officiique Ecclesiastici, ac politici partes omnes indicant. Ex hinc ferme hausert, quicquid magnificentum de iis dixerunt, qui iis compingendis hæcenus operam aliquam impenderunt, inter quos, novissimis istis sæculis e pulvere, & tenebris revocanda, & in lucem proferenda Concilia censuit Jacobus Merlinus Theologus Parisiensis e Navarra familia ( illustris ob carceres, & exilia, quæ causa tutandæ Religionis contra subdolas hæreticorum machinationes pertulit, & quem columnæ totius Theologiæ firmissimam vocitabat Democares ) qui eorum Doctrinam vocat solatium, simul atque remedium languenti, & prope deficienti orbi, ac velut quoddam ægritudinis refrigerium; si enim perfidorum quorundam hominum damnata redeunt opiniones, consentaneum, & prope necessarium fuit, illa repetere instrumenta, unde dudum cum suis erroribus prostrati, jugulati, confossique auctores sint, ut qui sensui hærent proprio, & veritatem rursus opprimere moliantur, morum integritatem labefactare, jura item pervertere, veterum instaurare blasphemias, priscorum sententiis teneantur, atque merito Sacro-sanctorum Conciliorum censuris coerceantur. Quod fufius prosequitur in Epistola nuncupatoria ad Stephanum, & Franciscum Poncherios Senonensis, & Parisiensis Ecclesie Præsules, cujus verba, etsi pluscula, repetere non pigebit, cum fere sola hæc Epistola ex ejus Marte prodierit tomo ejus primo affixa, qui collectionem Isidori continet, cum brevi Præfatione ad Lectorem initio tomi ejus secundi, ubi aliquot Generalia Concilia quatuor primis posteriora dumtaxat complectitur. Sic in ea Epistola extollit Concilia, quibus conducibilis reipublicæ nihil fere existimat, quippe cum tam copiose, tamque Catholice singula, quæ aut ad aterendos mortalium errores, aut ad instaurandum jam prope collapsum orbem præ se ferant, ut facile nunc ex iis quisque ad manum habeat, unde hæreses, & hæreticos jugulet, elatos reprimat, voluptuosos defatiget, excitet torpentes, exinaniat ambitiosos, vulpes capiat parvulas vineam Ecclesiasticam demolientes. Si igitur posthac monstra a republica arcere, pellereque quispiam contendat, quid præstantius lapidibus David, quos hic Jordanis copiosissime subministrat? si item votis esurientium satisfacere tentet, quid copiosius, suavisque opibus, quas hæc de remotissimis oris veniens navis attulit? si vero fermitam, & veritatis splendorem concupiscat, ex quibus optimo jure pellantur errorum tenebræ, & procul abeant cum suis auctoribus, quid apertius Patrum, parentumque sententiis, quas impellente sancto Spiritu in hunc acervum comportarunt? hic nempe velut ex prato floribus universis pleno facile conceduntur, quæcumque

Menyrol.  
Gallicani,  
p. 2016.

TABULA JOVERIANA CONCILIORUM GENERALIUM.

<i>Anno Domini.</i>	<i>Concilii Oecumenica.</i>	<i>Intercessiones Anni.</i>	<i>Summi Pontifices.</i>	<i>Imperatores.</i>	<i>Hereses, &amp; cause, per quas celebrata sunt hæc Synodi.</i>
330	Nicensium primum.		Sylvester.	Magnus Constantinus Augustus.	Arrius.
372	Constantinopol. I.	34	Damasus.	Magnus Theodosius.	Macedonius.
431	Ephesinum.	41	Cœlestinus.	Theodosius junior.	Nestorius.
443	Chalcedonense.	30	Leo I.	Marcianus.	Euryches.
543 554	Constantinopolitansium II.	102	Vigilius.	Justinianus.	Origenes.
719	Constantinop. III.	129	Agatho.	Constantinus Pogonatus.	Macarius Monothelita.
794	Nicensium II.	109	Adrianus I.	Constantin. & Irene mater ejus.	Iconoclastæ.
914	Constantinop. IV.	130	Adrianus II.	Baldus Macedo.	Photius, qui deposuit Ignatium.
1180	Lateranense.	266	Alexander III.	Corradus Suevus.	De electione Summi Pontificis.
1215	Lateranense.	31	Innoc. III.	Henricus VI. Germanus Cæsar.	De recuperanda Terra Sancta.
1246	Lugdunense.		Gregorius X.	Uuilhelmus Germanus Cæsar.	De processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio.
1311	Constantiense.		Clemens V.	Albertus Germanus Cæsar.	Joh. Hus, & Hieron. de Praga.
1431	Basileense, Florentinum.	* <i>Tullitur schisma trium Pont.</i>	Jo. XXIV. cui deposito succedit Mart. V. Eugenius IV.	Sigismundus. Maximilianus, & Fridericus.	Hussite.
1513	Lateranense.		Julius II. & Leo X.	Maximilianus Cæsar.	
1545	Tridentinum.		Paulus III.	Carolus V. Germanus Cæsar.	Oecolampadius, & Lutherus.

*Vide, hic aliquos deesse Concilia ex generalibus, quod de eorum numero apud omnes non sit eadem sententia.*

SUMMA



# APPARATUS AD SUMMAM CONCILIORUM.

De Triplici Verbo Dei.



**U**NICUM est Verbum Dei personale, æternum, & consubstantiale Patri, immensum, infinitum, subsistensque ante tempora, quod cum Patre, & Spiritu sancto universam condidit creaturam, & quod propter humanam incarnatum est in tempore, mirabili modo uniens semetipsum cum humana carne, ut in ea agendo, & patiando satisfaceret pro peccatis hominum, & qua damna illis intulerat primus Adam, ea resarciret, mediisque omnibus suppedicaret, quibus gloriam æternam consequi possent. Præcipuus autem cardo salutis hominum in eo est, ut cognitione, & amore Verbo adhaerant; quod triplici verbo perfici potest, verbo scripto, quod est Scriptura sacra, verbo non scripto, quod est traditio, & verbo explicato cum debita auctoritate per Ecclesiam, ad quam pertinet, quæ difficilia sunt, operta, aut dubia in verbo scripto, & non scripto, proponere, explicare, determinare. Quod sit præsertim per summum Pastorem, seu extra Concilia, seu in Conciliis, isque modus ultimus magis probatus est, & cum majori suavitate eî plures acquiescunt, ut nihil ulterius contendendum existiment. Hinc est, quod in hac Summa Conciliorum præludium hoc præmittimus de triplici Verbo Dei, scripto, non scripto, ac definito in Conciliis, in quibus certioram cognitionem habeamus Verbi Incarnati, ejus doctrina sanctissima, legis immaculata illius, Ecclesie, Sacramentorum, per quæ omnia ad ipsam afficiamur, & cum eo societatem talem habeamus, qua ad visionem Patris æterni perveniamus.

## DE VERBO DEI SCRIPTO.

PARS PRIMA.

Quid est Scriptura sacra?

A

Quid Vetus Testamentum?

Definitio  
Scripturae  
sacrae.



**V**erbum Dei hominibus revelatum, & per Scriptores ab Ecclesia approbato literis consignatum, ad docendum primario Jesum Christum Redemptorem humani generis ex servitute peccati, mortis, ac diaboli, ut homines in eundem Christum credant, & credentes vitam æternam habeant.

Joan. vi.

Omne Verbum Dei hominibus revelatum continetur in Scriptura sacra.

Minime; est enim aliud etiam Verbum Dei traditum hominibus quidem a Deo aspiratum, non tamen scriptis mandatum, unde traditiones. Sed & plura Dei verba, quæ scripta erant, perierunt.

Quomodo dividitur Scriptura sacra?

Communiter dividitur in Vetus, & Novum Testamentum, seu in libros ad legem veterem, seu Mosaicam spectantes, & libros ad novam, seu Christianam legem.

Divisio  
Scripturae  
sacrae.

Tom. I.

Collectio illa librorum sacrorum, quæ promittunt venturam liberationem, cum præceptis legis antiquæ.

Quid Novum?

Collectio illa librorum sacrorum, quæ promittunt liberationem, ut præsentem exhibent cum præceptis novæ legis, ita ut venturam adhuc a carne gloriosa ad judicium repræsentent.

Occurrunt  
Scripturae  
sacrae

Qui libri illi?

Libri veteris Testamenti ad legem Mosaicam spectantes dividi possunt in quatuor classes, scilicet in Legales: quales sunt quinque libri Moysi, seu Pentateuchus, Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum, & Deuteronomii. Historiales, scilicet Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Ezechias, Tobias, Judith, Esther, Machabæi. Sapientiales, ut Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Et libri Prophetiales, Psalmi David, quatuor majores Prophete, Haiaz,

A

Jere.